



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Epistolarvm Innocentii III. Romani Pontificis Libri Vndecim

Innozenz <III., Papst>

Parisiis, 1682

Capitvlo Anglonensi.

urn:nbn:de:hbz:466:1-20006

444 Epistolarum Innocentij III.

CAPITVLO ANGLONENSI.

Epist. 160.
Vt suum Archiepiscopum reverenter excipiant, atque benigne tractent.

Quantum honoris &c. ut supra *af- que ad verbum* convalescat. Cùm igitur ipsum non solum in his in quibus ejus honoravimus decessorem, verùm etiam in majoribus disposuerimus honorare, discretioni vestræ per apostolica scripta mandamus & districtè præcipimus quatenus præter id quod ei, tanquam Metropolitano vestro, reverentiam tenemini debitam exhibere, de universis justitiis episcopalibus plenè respondere curetis, donec de provisione Ecclesiæ vestræ aliud statuamus. Procuratorem etiam & officiales ipsius sicut ipsum recipere, ac de universis justitiis ejus ipsis curetis plenariè respondere, scituri quòd non possemus in patientia sustinere, si mandatis nostris præsumeretis contumaciter refragari. Noveritis etiam nos venerabilibus fratribus nostris Cuperfanensi & Gravinensi Episcopis dedisse firmiter in mandatis ut personaliter ad vestram Ecclesiam accedentes, & litteras nostras vobis assignent, & vos ad id, monitione præmissa, per censuram ecclesiasticam appellatione remota compellant, ita quòd si ambo &c. alter eorum &c. Datum Laterani III. Nonas Augusti.

Scriptum est illis Episcopis super hoc.

A C H E R V N T I N O
Archiepiscopo.

Epist. 161.
Vt afflictiones hominum pro consuetudine istius loci recipiat.

Probata in multis apud nos tuæ sinceritas bonitatis inductione nos excitat speciali ut præter commune debitum quo universis tenemur Ecclesijs, Ecclesiæ tuæ commodis & augmentis ratione personæ specialiter intendamus. Ea propter, venerabilis in Christo frater, personam tuam gratam con. auctoritate tibi præsentium indulgemus ut homines qui se tibi vel Ecclesiæ tuæ recommendare voluerint, quod secundum terræ consuetudinem affidatio nuncupatur, cùm in pluribus partibus parochiæ tuæ jus istud Ecclesia Acheruntina ex antiqua consuetudine & privilegijs Regum obtineat, tibi recipere liceat, & absque contradictione cujuslibet retinere. Decernimus ergo &c. concessionis &c. Datum Laterani III. Kalen. Augusti.

CAPITVLO ET VNIVERSIS
Clericis de Matera.

Epist. 161.
Ne à quoquam ad iudicium

Ordinis clericalis immunitas eo est libertatis privilegio insignita, ut

cùm suos iudices habeat, sub quibus possit & debeat conveniri, à seculari iudicio penitus sit exempta: quæ nimirum nullis publicarum functionum oneribus obligata, jugum secularis effugit servitutis. Vnde ut vos sub regimine venerabilis fratris nostri Rainaldi Archiepiscopi vestri, cujus sinceritas bonitatis apud nos approbata in multis ad provisionem vestram specialiter nos astringit, liberiores possitis Domino militare, atque sub eo amplioris libertatis beneficio vos & jura vestra tueri, auctoritate præsentium districtiùs inhibemus ne aliquis ad iudicium secularis vos trahere aliqua temeritate præsumat, aut publicis exactio- nibus & angariis fatigare; cùm etiam super hoc principalis jussio, sicut dicitur, emanarit. Decernimus ergo &c. inhibitionis &c. Datum Laterani II. Kal. Augusti.

seculare tra-
hanus.

In eundem modum universis Clericis per Acheruntinam diocesim constitutis.

VNIVERSO POPVLO
de Matera.

Cvm esse vos Ecclesiæ filios non negetis, aut liberam esse dicetis Ecclesiam, aut vos non negabitis esse servos, utpote nati fueritis ex ancilla, cùm conditionem matris sequatur filius, secundum legitimas sanctiones. Pervenit autem ad audientiam nostram quòd vos Ecclesias publicis exactio- nibus & angariis aggravatis, & Clericos ad forum inter- dum trahitis seculari. Quia verò id in ecclesiasticæ redundat libertatis injuriam, universitati vestræ per apostolica scripta mandamus & districtè præcipimus quatenus ab universis Ecclesiarum gravaminibus desistatis, nec super possessionibus aut aliis contra consuetudinem & specialem etiam concessionem eis indultam trahatis Clericos ad iudicium seculare; cùm secundum verbum Apostoli, suo domino stent, aut cadant. Alioquin sententiam quam venerabilis frater noster R. Archiepiscopus vester per se vel procuratorem suum in aliquos propter hæcrationabiliter tulerit, nos ratam habebimus, & volumus usque ad satisfactionem congruam inviolabiliter observari. Datum ut supra.

Epist. 161.
Vt à cleri inju-
riis abstant.

